



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

2. Cur Deus sæpe differat punire peccatores?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

CAPVT XLI.

Summa Dei etiam in malos bonitas, quàm immeritò nonnullos offendat?

I.

Matth. 11.6.



Vid miremur, *Sortibus* alios vti, alios abuti? cum nonnulli ipsam Dei bonitatem trahant in malitiæ suæ nutrimentum. Quod videns Seruator, Ioanni renunciari iussit: *Cæci vident: claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur: & beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.* Nempe fuerunt etiam tunc, qui, mortis occasionem acceperunt, vnde vitam haurire debuissent. An non enim miraculis tam splendidis, ad credendum moueri eos oportuit? illi verò scandalizati, etiam moti sunt, ad accusandum. Ea scilicet fuit Scribarum, ea Phariseorum malitia, vt offenderentur, quòd *ad peccatorem diuertisset: quòd cum peccatoribus manducaret; quòd à muliere peccatrice se tangi pateretur, quòd sabbathis homines curaret: denique in principe demoniorum dicebant, eum demonia eicere.* adeò *petra scandali, & lapis offensionis, positus in ruinam multorum fuit: sed non credentium.* nam credentibus *lapis summus, angularis, electus* fuit, teste S. Petro.

Isa. 8. 14.

Rom. 9. 33.

Luc. 2. 34.

1. Petr. 2. 6. 7

II.

Supra cap. 6.

9. VII. D.

Dionys. ep.

ad Demoph.

Tales Pharisei etiam nunc reperiuntur, qui inde scandalum rapiunt, ex mundi gubernatione, vnde maximè rapi deberent in admirationem immensæ bonitatis Dei. Vt enim quibusdam nimis seuerus, ita alijs nimis clemens esse videtur. Non repetam, hîc, quod supra attuli è D. Dionysio, de Carpo Episcopo, Idololatram, & eum, qui se ab Idololatra seduci passus est, vita indignos iudicante, ægréque ferente, quòd eos terra sustineret. Ad cuius morem multi vindictâ ardentes, offendi se non dissimulant, si non toties Deus sua fulmina mittat, quoties homines peccant. Non habet Dominus iram tam compendiosam; longanimis est, patiens est, bonus est, misericors est, iustus est; differt, ne præcipitare videatur; patitur, vt det exemplum; expectat tempus, quia expectat poenitentiam; quæ si non sequatur, moram poenâ compensat. Hoc pertinet ad infinitam illius excellentiam, qui, quia in se optimus est, est etiam alijs summè bonus, bonitate, vt vocant, *respectiua.*

Hac

Hac omnibus creaturis se communicat, sed intelligentiâ præditis, modo insuper peculiari; nempe sub vltimi finis ratione: ad quem vt nos dirigat perducâtque, donis cumulat, & ijs, quibus nos, tanquam causa efficiens naturalis, conseruans, prouidens que regit; & per quæ efficiamur *diuina consortes natura*, vt dixit, quem S. Dionysius *Theologorum decus supremum & antiquissimum columen* nominavit. Inter hæc dona autem, sunt variæ virtutes, quas nos vult (etiam indignis benefaciendo) docere.

S. Dionysius
cap 3. diuin.
nom.

Prima est, vt hanc ipsam bonitatem, in Deo, agnoscamus & credamus. Nam, vt Clemens Alexandrinus dixit: *bona facere, est Dei natura, vt ignis calefacere, & lucis illuminare*. Sic multorum natura, aut malitia potius velut in naturam versa, est *mala facere*, omnes accusare, omnes calumniari, omnes offendere, instar echini, vbicunque eum tangas, aculeati; immo instar *decem cornua habentium* diabolorum. Secunda causa est, vt sciamus, vnde & nos boni fieri possimus, atque ita in spem erigamur. Nam, vt vel Hermetes tradidit, Deus est *bonum bona faciens, bonum efficiens*: vel vt Plotinus docet, *Deus est bonum, cetera bona, vt amari possint, quasi colorans, & hoc ipso amabilia reddens*. Apelles te bonum pictorem; Praxiteles bonum sculptorem, aut statuarium; Galenus bonum medicum; Deus bonum hominem faciet, vt nôris, à quo magistro discere debeas pietatem. Tertia causa est, vt homo, sc, cum diuina gratia, bonitatis illius capacem faciat. Siquidem, vt ex mente Platonis Alcinous loquitur, *Deus bonus est, quoniam in omnia, pro cuiusq; facultate, sua beneficia confert, cum omnis boni causa sit*. Vt ergo minus vasculum minus balsami capit, & in maiore plus potest comprehendi; sic diuina bonitas in eos se se copiosius effundit, qui sinum magis dilatant. Audi Saluatorem: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Vbi D. Gregorius ait: *Tanto ergo amplius peccati rubigo consumitur, quanto peccatoris cor magno charitatis igne concrematur*. Nam utique qui ex amore Dei magis dolet, se Deum offendisse, venia se reddit digniorem, capaciôrque fit maioris gratiæ diuinæ infundendæ. Sic oleum stetit, cum vas non superesset; quod tam diu fluxit, quàm diu filij matri suæ oleum infundenti vasa offerre potuerunt.

III.
Clem. Alex.
l. 1. Strom.
c. 8.
Apoc. 12. 3.
In Piman-
dro c. 4.
Plotin. En-
nead. 6. 1. 7.
c. 22.

Luc. 7. 47.
4. Reg. 4. 5.

Quarta causa est, ne nos à benefaciendo excusamus, dicentes, littus frustra arari, & nequicquam in saxis seminari: esse enim homines quosdam, sicut ficum aridam, sicut terram sterilem,

IV.

Fff lem,